

dum erat mortificatum, sed hac nocte tradi debuit, et interdiu morte affici, mortale, in Virgine conceptum de Spiritu sancto, sumi, et manducari, dum Panis iste porrigitur, simul hoc tale Corpus per fidem dictis Verbis dominicis: *Hoc est Corpus meum* &c. Tractat dein septem Causas institutionis hujus Sacramenti, totidemque Necessaria ad dignam ejus perceptionem, et concludit formula, quam latine damus: *Finitum in querimonia vitae et mortis, die XXI. mensis Aprilis: et inchoatum circa diem XXIII. mensis Martii. Anno Domini 1562. Est et correctum.* Libellum ab Homine, quocum et *Jesuitae* et *Utraquistae* incassum egerunt, aut *Pragae*, aut *Bürglicii* in liberiore custodia scriptum fuisse colligo. Commendatur ille a stilo simplici, terfo et correcto, quae vulgo Scriptorum hujus Sectae laus est, observaturque in Codice nostro *L* molle peculiari forma extrorsum uncato apice ab *L* duro distingui. Involucrum, quo tegitur, Fragmentum latini Tractatus de *Fide et Poenitentia* est, atque, ut mihi videtur, profectum ab eadem manu, quae facile ipsius sit *Augustae*.

DCXXVII.

R. 1284 Codex chartaceus boh. Sec. XVI. Folior. 143. 8. currente calamo fat nitide scriptus titulum praefert: *Pisne Bratra Jana Augusty Kterez Delal vwezenj*, id est: *Cantica Fratris Jobannis Au-*

gustae, quae fecit in carcere. Dixi jam aliquid Cod. praeced. de isto Fratrum *Bob.* seu *Moravorum* Antistite, cujus Vita et Scripta recensentur in *Abbildung. Böhm. und Mäbr. Gelehr.* P. II. Prag. 1775. p. 67. 8. ubi tamen Cantilenarum praesentium nulla peculiaris memoria. Agunt eae de praecipuis Religionis christianae Capitibus, adjectis saepe Notis musicis, et duas Partes constituunt praepostere, si tempus scriptionis spectes, in Codice compactas. Nam *Pars* II. ut habetur in calce, scripta est 1562. a 6. ad 24. *Junii*, *Pars* vero I. finita dicitur eodem anno 27. *Julii*, quo die, ut additur, *D. Catharina Sternbergia* cum *D. Philippina* fortasse filia *Praga Hradecium* venit. Tò *Hradek* arcem *Bürgliciam*, captivitatis *Augustae* locum, innuere videtur, quae alias *Krziwoklad* adpellatur.

DCXXVIII.

Codex chartaceus boh. Sec. R. 1221 XVII. Folior. 180. 4. prius Collegii S. J. *Viennae* Titulum praefert: *Retunkb Proti Antykrystu a Swodum gebo Kteryz wzarmuczenych Tiechto czasnych mnohym kzabinutj nesslerastne se rozmabagi, a negednech od Wyry odstupowanj se dege.* &c. Quasi dicas: *Confilium eripiendi* (germ. *Rettung*) contra Antichristum et seductiones ejus, quae tristibus hisce temporibus (*Ferdinandi* I. ut videtur) in multorum interitum tam infeliciter augentur, ut nonnulli a fide recedant.

dant. His, qui animas suas libera-
re, et ab interitu eripere volue-
rint, datum a quodam Amatore
Jesu Christi. Luc. 8. v. 8. Qui ha-
bet aures audiendi, audiat. E Fra-
tribus *Moravis*, sive *Boheminis* est
Amator iste, qui post admonitio-
nem ad Lectores Seriem proponit
Capitulum XXXII. eique Συνοψιν
totius Operis, quod *Demonstratio-
ne et Admonitione* constat, sub-
jungit. C. 1. conqueritur de Ho-
minum sui aevi vacillatione et in-
stabilitate in Religionis negotio.
C. 2. inquit in hujus mali causas.
A c. 3. Ecclesiam Romanam im-
pugnare incipit, et, quod erat ex-
pectandum, definit in *Jesuitis*. An
errores occurrentes Autori, an
Librario tribuendi, incertum. Quid
v. g. c. 21. *Bertuch. in Rupert.
in tit. Papae?* Nunquid *Bertachi-
nus in Repertorio in Dictione* seu
voce *Papa?* Quid sub finem: *Crux
Triumphabit cum Signo Crucis* ef-
formato, homini, qui in usum hu-
jus Signi invehitur? Thecae exte-
riori utrinque impressum est Insigne
primi Possessoris Anser et in
area et supra galeam ramo infi-
stens, piscemque rostro tenens,
quod Insigne *Kochtitzkiorum Sile-
siorum* esse video apud *Job. Sina-
pium in Schlesiſch. Curiosität. T. I.
p. 201.* et *Frid. Lucae in Schlef.
Denkwürdigkeit. T. II. p. 1729.*
Itaque et circa Insigne lego: *An-
dreas a Kochtitz in Kossenczin et
Turmawa.* Memorant Autores
mox citati *Andream Kochtitzkium*
a. 1633. Regi *Sueciae* a consiliis
legationis bellicae, ejusque Biblio-

thecam celebrant, si modo unus
idemque est, ad an. 1613. nullibi
tamen huic Familiae possessiones
adtribuunt, quae supra nominantur.

DCXXXIX.

Codex membraneus lat. Sec. U. 525
saltem XIII. Folior. 144. 4. min.
charactere atro, luculento, crasso
perscriptus, rubricis distinctus, et
olim *κρημα Job. Fabri Ep. Vien.*
ingreditur ab Epistola: *Fratri in
christo karissimo! illuminatos ocu-
los. Lego et relego carissime opus
uestrum de officiis. multumque me
delectat eius lectio tum pro sui uti-
litate. tum pro auctoris dulcissima
mibi karitate.* Sed esse, quae ami-
ce moneat, antequam Opus istud
exeat. *Cum enim in ordine diuini
sacrificii tria illa digesturus. mate-
riam. intentionem. causamque fina-
lem de materia ageretis. dixistis
post multa. Sed dicit mihi aduersa-
rius. Viuens et sensibilis in corpo-
re suo mobilisque est deus et homo
christus. Corpus autem sacrificii ui-
tam non habet. sensum non habet.
mobile non est. Corpus ergo domini
non est. Ad haec uos contra aduersa-
rium. Obsecro te quam in corpo-
re domini uitam requiris? Est e-
nim uita animalis. est spiritualis.
Animalis uita quinque sensibus fun-
gitur. Visu. odoratu. auditu. gustu
et tactu. haec uita animalis est. car-
nalis est. caro est. Dominus autem
dicit. quia caro non prodest quic-
quam. Et post aliquanta. Solam
ergo spiritalem uitam in sacrificio
nobis administrare sapientiam eius
dece-*